



1. Baumgarten / Siziim. Jac. / diff. de praestantia Religionis revelatae pro naturali, Halle 1743.
2. Bebelij / Balthas. / diff. de bis mortuis, Jena 1773.
3. diff. de primogenitura ex mortuis rediviui, domini nostri Jesu Christi Franc. / 1743.
4. Behm / Joh. / diff. de Luceis a lectione Scripturae sacrae non arrendis, Regim. 1742.
5. Claurwitz / Bened. Gottl. / diff. de Antographorum Bibliorum jactura, rei Christianae et innoxiae et utili, Halle 1743.

Q. D. B. V.

ANTITHESIS ORTHODOXA DEFENSIVA

INSULTIBUS
INFIDELIUM ET PARADOXORUM
NOSTRÆ CUMPRIMIS ÆTATIS

IN
ARTICULIS DE ECCLESIA
EJUSQUE STATIBUS, ET
DE SACRAMENTIS,
OPPOSITA.

Quam

PRÆSIDE

JOHANNE CHRISTIANO
KLEMMIO,

SS. Theol. Doctore, Professore Ordinario
ac Superintendente,

In Auditorio Hyberno H. Lque C. publice disputabit

Ad Diem Novembr. A. MDCCXLII.

M. JOH. GOTTFRID ENGEL, Stuttgardianus,
SS. Theol. Studiosus & Serenissimi Stipendiarius.

TUBINGÆ,

Literis BAUHOFII & Viduæ B. PELICKIL. *h*



AMT
ORDINA
DEFENSIVA
MAGISTRUS
VICARII DE ECCLIA
JOHANNES
MAGISTRUS





De Ecclesia ejusque Statibus.

§. I.

Ecclēsia Jesu Christi non est regnum terrenum.

C. Hobbesius Leviathane Cap. XLIV. p. 190. cujus argumenta solvit Grapius.

§. II. Nec Ecclesia eadem est cum civitate, ut adeo verba sint inania, dicere, inter regimen temporale & spirituale esse discrimen.

C. idem Leviath. C. XXXIX. p. 182. 218. de Cive Cap. XVIII. p. 152. §. 21. Responderunt zum Felde in Polit. S. Grapius & nos.

§. III. Nec legitima esse Ecclesia nequit, nisi quæ autoritate illius est convocata, qui summam in Civitate habet potestatem.

C. idem Leviathane Cap. XXXIX. p. 218.

§. IV. Nec Ecclesia Christiana est coetus hominum Religionem Christianam profitentium, unitorum in una persona, summam habente potestatem, cujus injussu convenire non debeant, ita ut Ecclesia, quæ habetur in ea Civitate, quæ conventiones tales lege vetuit, sit illegitima.

C. idem Leviathane Cap. XXXIX. p. 218. cui nos respondimus.

§. V. Nec fundamentum obligationis ad cultum Dei à mundo condito aliud non fuit, quam autoritas, quæ Patriarchæ naturaliter in familias ac filios suos pollebant.

C. Idem ibid.

§. VI. Nec Civitas spiritualis in hoc mundo est nulla.

C. idem Leviathane Cap. XLII. p. 276. cui iidem respondimus.

§. VII.

§. VII. Nec, quod Ecclesia, quæ nunc est hominum in terris viventium, sit regnum Dei, detorsio est scripturæ.

C. idem Leviathane p. 290.

§. VIII. Nec differentia Veteris & Novæ Oeconomix in eo potissimum versatur, quod Christus venerit, ut à conceptu erroneo de existentia peccati atque iræ divinæ omni metu homines liberaret. C. Idem ibid.

§. IX. Nec à doctrina hac falsa, quod Ecclesia præfens sit regnum Dei, nascitur, quod pastores & ministri Ecclesiæ nomen sibi assumant Cleri.

C. idem Leviathane p. 291.

§. X. Nec ab eodem errore distinctio est inter Leges civiles & Canonicas. C. idem Leviathane p. 292.

§. XI. Nec Magistratui nulla religionis cura incumbit, ut religionem possit imperare, quam velit. C. Idem ibid.

§. XII. Nec Ecclesiæ omnes Scholæque sunt noxiæ & à diabolo inventæ.

C. Idem & Autor de deutlichen Abschilderungen des Prediger-Standes in allen Secten. §. 13. 35. 59. 74.

§. XIII. Nec omnes ceremoniæ in Ecclesia Christiana usitatae sunt ab hominibus confictæ.

C. Idem in Leviath. ibid. cum Fanaticis.

§. XIV. Nec pro Ecclesia Christiana in his terris habenda non est, nisi quæ in externa sua communione omnium hypocritarum & peccatorum est experta.

C. Fanatici Dippelius im Weg-Weiser zum verlohnen Licht Recht p. 103. &c.

§. XV. Nec Ecclesia Christiana scitu, inquisitu & creditu necessaria non est. C. Sociniani & Arminiani.

§. XVI. Nec Ecclesia Christiana est defectibilis, sed perpetuo duratura. C. Sociniani, Arminiani.

§. XVII. Nec regentis certa quædam facultas est concessa.

concessa, explorandi Spiritus, qua mediante, signis externis etiam non suppetentibus, infallibiliter queant judicare, num quis vere regenitus ac sincerum internæ Ecclesiæ sit membrum? C. idem Dippelius & alii.

§. XVIII. Nec vel vanum, vel minus necessarium est, de certis & propriis Ecclesiæ visibilis notis, quibus infideles ad eam amplectendam queant adduci, disquirere.

C. Post Socinum Fanatici.

§. XIX. Nec dari Ecclesiam visibilem, negandum est.

C. Fanatici iidem, Dippelius in dem Weg-Weiser q. 123. &c.

§. XX. Nec fieri potest, ut Ecclesia Christiana ita deficiat, ut in toto orbe non amplius supersint fideles & doctores & auditores. C. iidem & Sociniani.

§. XXI. Nec Ecclesia est in omnibus sectis.

C. Dippelius in Papis. Protest. Vapul. p. 124.

§. XX. Nec sola sanctitas, in vita & moribus externe conspicua, non prævia & accedente orthodoxia doctrinæ, sufficit ad genuinam Ecclesiæ Christianæ notam constituendam. C. Post Deistas, Fanatici.

§. XXIII. Nec dari hodie Ecclesiam veram, negandum est. C. Dn. Kayser im Abrifs der falschen Kirche.

§. XXIV. Nec jus imperandi originem trahit à vi & potentia irresistibili.

C. Hobbefius in Leviathane Cap. XXXI. p. 167. de Cive Cap. XV. §. 5. seqq. p. 112. seqq. confutatus ab Alberto zum Felde in Polit. S. p. 2.

§. XXV. Nec Imperium Magistratus ita est absolutum, ut ei à subditis absoluta & simplex debeatur obedientia.

C. idem Hobbef. de Cive cap. VI §. XIII. p. 44. & cap. XI. §. 17. p. 80. conf. à Schomero in Collegio, Noviss. Controvers.

§. XXVI. Nec, si à Principe nostro legitimo dicere jubeamur, quod non credamus in Christum, obediendum est. C. idem Hobbesius Leviathane cap. LXII. p. 234. cui nos respondimus.

§. XXVII. Nec Civibus ab iis, qui summam habent potestatem, injuria fieri nequit, nec innocens quoque sine injuria ab iis occidi potest.

C. Idem Leviathane Cap. XXI. p. 106.

§. XXVIII. Nec distinctio inter potestatem temporalem & spirituales inanis est.

C. Idem ibid. Cap. XXX. p. 155. & Cap. XXXIX. p. 218.

§. XXIX. Nec solus, qui summam in Civitate Christiana habet potestatem, scire supponitur, quid sit, quod Deus locutus est. C. Idem Leviathane Cap. 40. p. 220.

§. XXX. Nec constitutio Episcoporum quoad ordinem spirituales dependet ab autoritate civili.

C. Idem Leviathane Cap. LXII. p. 251.

§. XXXI. Nec alimenta Pastoribus constituuntur tantummodo per leges seu potestatem summam civilem.

C. Hobbesius Leviathane Cap. XLII. p. 255.

§. XXXII. Nec Reges Christiani sunt subditorum suorum Pastores supremi, qui jus habent, pastores sub se constituendi, quos ipsi idoneos ad populum instruendum judicant. C. Hobbesius in Leviathane Cap. XLII. p. 256.

§. XXXIII. Nec Pastores Summi Imperantis sunt ministri non aliter, quam qui urbibus, oppidis & provinciis præficiuntur.

C. Idem Leviathane Cap. XLII. p. 256.

§. XXXIV. Nec summus Imperans non solum regendi Ecclesiam, sed etiam functiones omnes Ecclesiasticas exercendi plenam habet potestatem.

C. Idem ibid. Cap. XLII. p. 259.

§. XXXV.

§. XXXV. Nec, si potestas summa sit penes feminam, in Ecclesiis prædicandi & sacramenta administrandi potestatem habet.

C. Idem Leviathane Cap. XLII. p. 259.

§. XXXVI. Nec, qui Ecclesiæ præficitur, jure civili, non jure divino officio suo fungitur & eodem hoc jure, quo præfectus est, deponi rursus potest.

C. Idem ibid. p. 260.

§. XXXVII. Nec summam habens potestatem, religionis procuracionem uni ex civibus vel civium coetui potest committere, si voluerit. C. Idem ibid.

§. XXXVIII. Nec, summus Magistratus potestatem dare, vel titulis pastores, quibus vult, ornare & circa eorum mercedem atque alimenta leges constituere, quas ipsi videbitur, potest. C. Idem ibid.

§. XXXIX. Nec summi Magistratus est, Sacrarum Scripturarum Interpretes constituere, ut cujus autoritate fiant leges. C. Idem ibid.

§. XL. Nec summi Magistratus est excommunicacionibus vim præstare per leges poenales, quibus libertini obstinati humiliari & ad unionem cum Ecclesia reduci possint. C. Idem ibid.

§. XLI. Nec potestatem in rebus omnibus tum civilibus tum Ecclesiasticis, quatenus ad actiones & verba attinet, summam habet. C. Idem ibid.

§. XLII. Nec summus Sacerdos summam in Israele habuit potestatem, neque id ex Deut. XVII. 12. potest probari. C. Hobbes Leviathane Cap. XLII. p. 271.

§. XLIII. Nec hæresium Judex non est alius præter eum, qui summam habet potestatem Civilem.

C. Hobbes. Leviathane Cap. XLII. p. 277.

§. XLIV.

§. XLIV. Nec, si Rex Christianus, qui fundamentum tenet, Jesum esse Christum, doctrinas aliquas per imperitiam inde deducens, eas doceri & teneri imperet, imperato obediendum est.

C. Hobbes. Leviath. Cap. XLII. p. 288. ad argumenta harum hypothesis nos respondimus. conf. Templeri Ideam Leviath.

§. XLV. Nec Lex Naturæ proprie dicta lex non est.

C. Hobbesius Leviathane Cap. XV. p. 79. Cap. XXVI. p. 130. de Cive Cap. III. §. 33. p. 27.

§. XLVI. Nec Ministerium Ecclesiasticum institutionis esse divinæ, negandum est, neque cuivis absque speciali vocatione Verbum Dei prædicare atque Sacramenta administrare licet.

C. Sociniani, Fanatici, Tremuli &c.

§. XLVII. Nec cuivis, vocationem internam & libertatem docendi temere prætendenti, facultas ministerii exercendi concedenda est.

C. Fanatici, Sociniani ex. gr. Smalzius, Ostorodus, Volkelius, Slichtingius, Arminiani, Limborchius, Schwenckfeldius, Merckerus confutatus à Wernsdorffio. &c.

§. XLVIII. Nec locus Num. XI. probat in omni civitate Christiana jurisdictionem Episcoporum dependere à summa potestate Civili.

C. Hobbesius in Leviathane Cap. XLII. p. 271.

§. XLIX. Nec vocationem mediatam divinam esse, negandum est.

C. Sociniani, Fanatici.

§. L. Nec hæreticos esse pseudoprophetas cavendos Matth. VII. 15. 16. negandum est.

C. Idem ibid. p. 278.

§. LI. Nec Ministri Ecclesiæ Christianæ facultatem remittendi peccata, non habent.

C. Sociniani Volkelius, Wolzogenius &c. & Fanatici.

§. LII.

§. LII. Nec si is, qui in Civitate summam habet potestatem, excommunicatur, sententia est invalida.

C. Idem Leviathane Cap. XLII. p. 241.

§. LIII. Nec Minister Ecclesiæ potestatem docendi immediate tantum habet à summa potestate civitatis.

C. Idem Leviathane Cap. XXVII. p. 120. conf. Grapius.

§. LIV. Nec tum demum divina supernaturalia prædicantibus obedire debemus, si ea, quæ prædicant, pro legibus haberi jusserit civitas.

C. Idem Leviathane Cap. XXVI. p. 136.

§. LV. Nec in Civitate Christiana prophetare, aut docere contra doctrinam, à Summo Imperante stabilitam, civi licet nemini.

C. Hobbesius Leviathane Cap. XL. p. 222.

§. LVI. Nec ordinatio Ecclesiastica necessaria non est.

C. Sociniani, Fanatici, Barclaius in Theol. Christ. &c.

§. LVII. Nec Apostoli aliique ab iis Ludimagistri sunt ii, quorum præcepta sunt tantum monita.

C. Hobbes. Leviathane Cap. XLII. p. 232.

§. LVIII. Nec Ecclesiæ potestas aliqua Ecclesiastica à politica distincta non competit.

C. Arminiani, Pleudopolitici, Machiavellus &c.

§. LIX. Nec Ministri Christi postulare jure nequeunt, præstari sibi in nomine ejus obedientiam.

C. Hobbes. ibidem p. 232.

§. LX. Nec excommunicatio primum tantum pro morum correctione in usu fuit, non opinionum.

C. idem ibidem p. 239.

§. LXI. Nec Ecclesia una ab altera excommunicari nequit.

C. idem ibidem p. 240.

§. LXII. Nec ab Ecclesia Christiana jure divino licita est separatio.

C. Separatistæ, Independentes &c.

B

§. LXII.

§. LXIII. Nec factum Jojadæ 2. Reg. II. & Ambrosii, Theodosium excommunicantis, fuerunt crimina læsæ Majestatis. C. Hobbes Leviathane Cap. XLII. p. 279.

§. LXIV. Nec in prophetis non sunt habendi, qui religionem aliam docent, quam quæ ab eo, qui personam Dei in Civitate gerit, legibus permittitur.

C. Idem Leviathane Cap. XXXVII. p. 206. seq.

§. LXXV. Nec Christus Matth. XVI. 21. potestatem ligandi attribuit potestati Civili.

C. Hobbesius Leviathane Cap. XLII. p. 266.

§. LXXVI. Nec Locus Joh. XX. 21. suprematum Ecclesiasticum & Civilem conjungit. C. Idem ibidem p. 267.

§. LXXVII. Nec præcepta Pastorum sunt Consilia, quæ sequi, vel negligere suo cujusque periculo, permittitur.

C. Idem ibidem p. 267. 281.

§. LXXVIII. Nec Censura Ecclesiastica tantum poenæ in futuro seculo est denunciatio. C. Idem ibidem p. 268.

§. LXXIX. Nec in Civitate Christiana rite ordinatus Pastor non est nisi à potestate Civitatis summa.

C. Idem ibidem p. 268.

§. LXX. Nec leges Ecclesiasticæ sunt Ieges Civiles.

C. Idem ibidem p. 269.

§. LXXI. Nec potestas prædicandi & baptizandi tantum locum habent, ubi sine transgressione legum civilium locum habent. C. Idem ibidem p. 271.

§. LXXII. Nec de illis, quibus Christus immediate locutus non est, dici nequit, quod Deo credant, sed tantum Apostolis & postea Pastoribus & Doctoribus Ecclesiæ.

C. Idem Leviathane Cap. XLIII. p. 282.

§. LXXIII. Nec fides Christianorum pro fundamento habet Pastorum primo suorum existimationem, deinde auctoritatem eorum, qui fecerunt, ut Scripturæ S. fidei essent

essent regula, quod summi Imperantes potuerint.

C. Idem ibid. Cap. XLIII. p. 287.

§. LXXIV. Nec manifestum est, homines Christianos non scire scripturas esse Verbum Dei, sed credere, ita esse & causam illis credendi, esse Doctores & domi Parentes suos.

C. Idem ibidem p. 282. ad hanc impietatem omnem, quæ eadem quoque est Lucii Antistii Constantis, sive Spinosa is sit, sive alius, alibi respondimus.

§. LXXV. Nec Ministerio Ecclesiastico nullum disciplinae exercitium, nullum censurae & excommunicationis jus competit, sed potestas clavium in solo verbi præconio consistit, disciplinae autoritate ex mera Magistratus Civilis delegatione dependente.

C. Post Socinianos Erastus de Excommunicatione, Arminiani, Arnoldus, quanquam à se ipso diversus & Pseudopolitici plures. Arnaldo respondit Fechtius & nos alibi pluribus.

§. LXXVI. Nec Principes, quibus jura majestatica circa sacra, jure naturæ & divino debita, nemo denegabit, jura quoque Episcopalia ex majestate queunt derivare.

C. Idem Erastus, Alb Riperi Moses Aaronis Deus, Christ. Thomasius cum antecessoribus, quos ipse in Historia Contentione late describit, & sequacibus, quorum ingens est turba.

§. LXXVII. Nec tamen plus habet inconvenientiæ, Principes simul apud nos ex conventione Imperii quoad jurisdictionem Episcopalem & dioecesanam in regionibus suis esse Episcopos, quam Episcopos esse simul Imperii Principes seculares, quod in Imperio nostro Romano-Germanico consuerissimum, quin in ipso etiam Pontifice Romano deprehendendum esse, constat.

C. Idem.

§. LXXVIII. Nec Magistratus divinitus esse constitutos atque apud Christianos etiam non tantum licitos, sed etiam necessarios esse, negandum est.

C. Sociniani, Fanatici, Quackeri, Anabaptista.

§. LXXIX.

§. LXXIX. Nec Magistratus Christianos flagitiosos suppliciis capitalibus afficere non posse, negandum, sed potius debere, affirmandum est.

C. Iidem Sociniani, Fanatici, Mennonita.

§. LXXX. Nec Magistratui Christiano illicitum est, à suis subditis exigere juramenta & alia.

C. Iidem Sociniani, Fanatici, Mennonita v. g. Schynius in Hist. Mennon. T. II. p. 65. Anonymus des kurzen und gründlichen Beweiffes. &c.

§. LXXXI. Nec polygamia simultanea Juri Naturæ ac Scripturæ contraria atque adeo illicita non est.

C. Post Judæos, Muhamedanos, Chineses, quosdam Socinianos & Anabaptistas, Ulr. Neobolus, Bernardinus Ochinus, Joh. Lyferus, Laur. Begerus, Willenbergius &c. confutati à Musæo, Wernsdorffio aliis. Conf. Reverendiss. Dn. Cancell. D. Pfaffii Histor. Theol. Liter. P. I. p. 380. seqq.

§. LXXXII. Nec copulationem Neogamorum Ecclesiasticam necessariam esse, negandum est.

C. Prownista, Independentes in Anglia, Anabaptista, Alii.

§. LXXXIII. Nec divortia etiamnum in N. T. æque ac apud Judæos sunt licita.

C. Miltonus Anglus in Doctrina de Divortio, Tetrachordo, Colasterio &c. vid. The Works of John Milton. Alii.

De Sacramentis.

§. I.

Nec Sacramenta pertinent ad Religionem naturalem & eo usque à Gentilibus originem trahunt, ut pro eorum spoliis queant haberi.

C. Chauvinus de Relig. Natur. confutatus à Buddeo.

§. II. Nec Principibus Christianis licet administrare Sacramenta.

C. Hobbesius in Appendice ad Leviathanem Cap. III. p. 364. confutatus a Grapio & Schomero.

§. III.

§. III. Nec Sacramentum est signum admissionis in regnum Dei quasi naturalizatio seu juris civitatis acquisitio.

C. Idem Leviathane Cap. XXXV. p. 193.

§. IV. Nec Sacramenta nudi sunt ritus, beneficia gratiæ significantes, non autem exhibentes & obsignant.

C. Sociniani, Arminiani, Fanatici.

§. V. Nec agnus Paschalis ratione suæ originis vel unice vel præcipue ex studio prophylactico adversus superstitiones Ægyptiorum profectus fuit.

C. Spencerus de Legibus Hebr. p. 299.

§. VI. Nec Agnus Paschalis Christi typum non gessit.

C. Idem ibid.

§. VII. Nec circumcisio cum Legè Mosis perpetui est usus, sed est abrogata. C. Judæi & Rhenferdius.

§. VIII. Nec circumcisio ab Ægyptiis inventa & ab his ad Israelitas translata est.

C. Spencerus de Legibus Hebr. Ritualibus L. I. Cap. IV. sect. IV. p. 74. seq. conf. à S. R. D. Deylingio Observ. S. P. II. p. 90. seq. Grapio, S. Rev. D. Langio, Wernsdorffio nobis, aliisque.

§. IX. Nec circumcisio Patriarchalis diversa fuit à Mosaica. C. Idem Spencerus loc. cit.

§. X. Nec circumcisio fuit signum προφυλακτικόν adversus Cacodæmonis seu Angeli Judæis infesti injurias.

C. Idem ibidem. conf. de his omnibus Præf. edit. Spenc. Tubing.

§. XI. Nec Baptismus nihil aliud est, quam publica nominis Christiani professio.

C. Sociniani, Quakeri, Anabaptistæ. it. Historische Verhandlung p. 59. seqq.

§. XII. Nec Pædobaptismus est illicitus.

C. Anabaptistæ, Sociniani, Arminiani. vid. Herm. Schyn. Histor. Mennonitarum Cap. I. & III. Corn. van Huyzen Korte Inhoud p. 42. seqq. Anonymus Socinianus in Theologia oder geistl. Gesprächen. Der entbrannte Elias p. 8. 23. 260.

- Dippelius in Papis. p. 258. Autor der unschuldigen Wahrheiten, confutatus à S. R. D. D. Baumgärtnero, Apelius, confutatus à D. D. Hoffmanno, Enthufialtæ, Fanatici &c.
- §. XIII. Nec Pædobaptismus nullius usus & efficaciam est, quoad ipsos baptizatos. C. Idem & Deurhofius.
- §. XIV. Nec baptismus ex Iustrationibus gentilium est ortus. C. P. Chauvinus in Theol. Natur.
- §. XV. Nec Baptismus traditio est humana.
- C. Der entbrannte Elias pag. 6. 16. Dessen Erörterung pag. 47. Tischeer Reden und Worte Christi p. 16. confutatus in Relat. Innoc. MDCCIV. p. 63. seq.
- §. XVI. Nec est mera ceremonia.
- C. Post Socinianos, Barclaius, Dippelius in Papis. Protest. Vapul. p. 258. 267. In dem entdeckten Maas p. 81. seqq. Im Weg-Weiler p. 103. Kohlhanfius. &c.
- §. XVII. Nec externum tantum est signum.
- C. Rosenbach in der Führung p. 179. seqq. Der entbrannte Elias p. 8. ejusd. Erörterung p. 45. Wohler in dem grossen Geheimnis. p. 111. &c.
- §. XVIII. Nec baptismum necessarium esse, negandum est.
- C. Lockius in dem Send-Schreiben von der Toleranz p. 63. seqq.
- §. XIX. Nec affirmandum est, baptismum sacramentum atque regenerationis medium non esse.
- C. Friedlieb in Untersuchung des Indifferentismi. Elpistius de eligenda Relig. in Germania p. 39. Dippelius in den unpartheyischen Gedancken p. 119. Dn. Kayler in der Absonderung p. 23. &c.
- §. XX. Nec ad Christianismum eum pertinere, negandum est. C. Idem Friedlieb p. 39. Dippelius in dem Glaubens-Bekanntnis Art. VIII.
2. XXI. Nec mera est Ceremonia Judaica.
- C. Idem Dippelius im Wein und Oel. p. 279. Volckmayer in den Anmerckungen. p. 562.
- §. XXII

§. XXII. Nec verus non est baptisumus, ab impio administratus.

C. Idem Dippelius in dem Entdeckten falschen Maas p. 48.

§. XXIII. Nec nostra de Evcharistia doctrina æque mala est ac Ethnicorum & absurdis connumeranda.

C. Collinus de Libertate cogitandi p. 38.

§. XXIV. Nec Scriptura de Eucharistia tanquam Sacramento nihil novit.

C. Felgenhauer vom Abendmahl p. 8. Anonym. der wohl dienenden Anmerckungen vom so genannten Abendmahl ex professo.

§. XXV. Nec Sacramentum hoc necessarium esse, negandum est.

C. Poirerus & idem Anonymus, qui Schermerus esse dicitur, confutatus à Wernsdorffio.

§. XXVI. Nec in cujusque positum est libertate: an ad S. Synaxin accedere velit, an non?

C. Separatista, Sez im Verhör Art. 10. &c.

§. XXVII. Nec propter indignos deferendum est hoc Sacramentum. C. Idem Separatista.

§. XXVIII. Nec gratiæ medium S. Coenam esse, negandum est.

C. Post Naturalistas, Socinianos, Fanatici Dippel. in dem entdeckten falschen Maas p. 84. seq. im Wegweiser p. 106. &c.

§. XXIX. Nec Sacramentum hoc aliud nihil est, quam Christi memoria.

C. Fanatici, Schermer loc. cir. Rosenbach in der Führung p. 80.

§. XXX. Nec optandum esset, ut non nisi adulti baptizarentur, infantibus autem Coenæ porrigeretur.

C. Poirer in la Paix des bonnes Ames. p. 144.

§. XXXI. Nec administratio S. Coenæ ad omnes fideles pertinet.

C. Jo. Merckerus in Actis Essëndiensibus p. 75.

§. XXXII.

§. XXXII. Nec feminæ urgente necessitate administrare possunt S. Eucharistiam.

C. Independentes & Tremuli in Anglia, quibus fere accedit Hugo Grotius, cum quibusdam Anabaptistis, Socinianis & Fanaticis.

§. XXXIII. Nec solius ordinis, non divini mandati, res est, solis Ministris non laicis administrationem huius Sacramenti competere.

C. Idem Grotius in Dissert. de Administratione Cœnæ, ubi Pastores non sunt p. 5. 6. consentientes habet Episcopium, Salmasium, Albaspinæum.

§. XXXIV. Nec carnalibus & infantibus tantum in Christo porrigenda est S. Eucharistia.

C. Citatus Schermerus in den wohldienenden Anmerkungen.

XXXV. Nec dici potest, hoc Sacramentum ad solos pertinuisse Apostolos, & mandati ac usus perpetui non esse, neque fideles ex ethnicis collectos stringere.

C. Idem ibidem.

§. XXXVI. Nec tamen Eucharistia mysterium dicitur ad æmulationem Gentilium.

C. Antonius van Dalen in Histor. baptisimi p. 424. confutatus à Buddeo.

§. XXXVII. Nec si impii sint S. Cœnam administrantes, quanquam omnino deceat eos esse pios, verum non est Sacramentum.

C. Carl in Catechis. Antipietist. p. 15. Dippelius, Rosenbachius, Kleinus &c.

§. XXXVIII. Nec etiam Cœnæ administratio ordinarie ad omnes fideles pertinet.

C. Merckerus de libertate docendi, confutatus à Wernsdorffio, vid. Acta Essendensia p. 75.

T A N T U M!

ad 2

00 A 6426


ULB Halle
002 927 322
ULB Sachsen-Anhalt
Ausschleichen




Datum: 2008 56.

L W 007 2







16

Q. D. B. V.

ANTITHESIS
ORTHODOXA
DEFENSIVA
INSULTIBUS
INFIDELIUM ET PARADOXORUM
NOSTRÆ CUMPRIMIS ÆTATIS
IN
ARTICULIS DE ECCLESIA
EJUSQUE STATIBUS, ET
DE SACRAMENTIS,
OPPOSITA.

Quam
PRÆSIDE
JOHANNE CHRISTIANO
KLEMMIO,

SS. Theol. Doctore, Professore Ordinario
ac Superintendente,

In Auditorio Hyberno H. Lque C. publice disputabit

Ad Diem *Novembr. A. MDCCXLII.*

M. JOH. GOTTFRID ENGEL, Stuttgardianus,
SS. Theol. Studiosus & Serenissimi Stipendiarius.

TUBINGÆ,
Literis BAUHOFII & Viduæ B. PFLICKIL. *h*